Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-480079-p0001-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-480079-p0002-7

22

CONJUGII MILITIAM
ad Urbis Inſulæ
Expugnationem horrendam
horrenda Martis facie,
In Nuptiarum Solemniis
SCHRAMMIANO-RINGEN-HAYNENSIBUS,
Die XXX. Octobr. M. DCCIIX.
adumbrare voluit

M. Godfridus Steinbrecherus,
Illuſtris Scholæ Torgenſ. Rector.

Hannibal ad portas!
Ad arma, ad arma!
An parati? parati.
Ita Duces olim romanorum milites concitabant.
Ita milites reſpontabant.
Ita & cum Sponſa Sponſus noſter:
Parati ſumus ad arma, ad arma ſumus parati.
Rectiſſime!
Namqve omnis amans militans, habet & ſua caſtra cupido:
Qvid, qvod omnis omnium vita militia eſt.
Militat pro grege Rex, grex pro Rege militat.
Sacerdos pro Eccleſiæ ſepe, pro Lege JCTUS.
Militat pater pro prole, pro ove paſtor militat.
Sic, ſic eſt, qvod dixi, omnis omnium vita militia.
At licet non adeo facilis periculiqve expers hæc militia.
Longe tamen difficilior periculoſiorqve militia,
Qva ad cruenta arma concurrimus,
Qva ad caſtra hoſtium oppugnanda confluimus.
Qva ad urbes expugnandas accedimus.
Docet hoc, vah! edocet horrenda Martis facies.
Nam Hannibale ad portas excubante,
Inprimis de pecunia, rerum gerendarum nervis
Sollicitatur anxie, anxie elaboratur.

Cumqve

AK

Cumqve ſonet: Carolus Qvintus, nihil eſt intus,
Intus, Qvintus qvod aurum condidit Sixtus,
Pontifex id hodie promit exlex.
Conſcribuntur hinc, qvin undiqve contrahuntur milites,
Mox pedites, eqvites mox, mox indigenæ, extranei mox,
Mox primarii, gregarii, tumultuarii, deſultorii,
Mox duplicarii, ferentarii, lancenarii, mox hoplomachi.
Evocati vox, mox voluntarii .
Ad reſiſtendum mox periti, mox rudiores.
Petuntur mox auxilia Fœderatorum,
Barbarorum mox vires alliciuntur.
Qvibus per legiones & vexillationes manipulosqve
Concenturiatis præfectos cernes
Et Decuriones, & Centuriones & Chiliarchos,
Hisqve adjunctos Legatos, Tribunos, Qvæſtores,
Exercitu hinc in diribitorium ad armiluſtrium deductô,
Et à diribitoribus viritim & luſtrato & auctorato,
Mox armato probeqve exercitato,
Metator caſtra metatur, acies ordinatur,
Mox a ventante hoſte, ſignum ad prælium datur,
Hinc omnes lætitiis incedere videntur:
Perſonante tympanorum, tibiarum cornuumqve ſtrepitu,
Claſſicum canentium ad pugnamqve excitantium.
At vero
Hoſtibus manus conſerentibus; in agros irruentibus,
Alius lætitiarum, qvin! miſeriarum ſtrepitus auditur.
Perſonant enim omnia, omnia circumſtrepunt
Armorum ſtrepitu, crepitu militum,
Puerorum mulierumqve fletibus, ploratibus.
Clamoribus perſonant ſauciorum, morientium ejulatibus.
Cadentibus hinc millibus, millibus hinc cadentibus.
Adeo horrenda Martis facies eſt,
Exercitus ut olim Macedonum induratus, invictus
Regem ſuum Alexandrum M. precibus precaretur,
Qvin! in lacrymas diffuſus oraret:
Finem tandem belli faceret,
Aliqvando patriæ reditusqve meminiſſet;
Reſpiceret militum annos,
Qvibus vix ætas ad reditum ſufficeret:
Alius oſtendere caniciem, alius vulnera,
Alius ætate conſumta corpora,

Alius

Alius cicatricibus exhauſta.
Tandem orare:
Ut reliqvias ſaltem ſuas paternis ſepulcris reddat,
Aut, ſi non militibus, ſibi ipſe parcat.
En triſtem Martis faciem!
At luſus hic eſt, jocus eſt,
Urbis munitiſſimæ obſidioni duriſſimæ compoſitus.
Videamus Obſidionem Urbis Inſulæ ſuſceptam,
Stupendam ſane, horrendam, tremendam.
Vidiſſes, audiſſes, ſi adfuiſſes,
Forte nunqvam viſa, audita nunqvam.
Sociorum enim ſereniſſimorum exercitus invictus,
Poſt inſignem ad Aldenardam, reportatam victoriam,
Urbem Inſulam, cui à viribus ac munimentis
Horrendis vix parem videris,
Copiis cingebat, atqve egreſſu ingreſſuqve intercludebat.
Hinc facta circumvallationis undiqe lineâ,
Urbi ipſi itinere ſinuato appropinqvabat;
Ad hoſtium ictus inſultusqve declinandos.
Hinc pyroboli, malleoli, ignita miſſilia,
Hinc ſphæræ punicæ igniariæ ferramentis fartæ
Ad obſeſſorum ſtationes diſturbandas
Catervatim immittebantur, injiciebantur manipulatim,
Hinc per ſubterraneos cuniculos ſuffoſſiones factæ,
Mox occultæ, incluſis pulveris nitrati vaſculis.
Mox apertæ ſub pluteisqve vineisqve loricisqve.
Hinc terreæ munitiones ex humo congeſtitia,
Hinc aditus factus ad antemuralia propugnacula,
Conſcendebantur valla, pali, ſtipites cuſpidati.
Hinc transverſis cuniculis, cunicularis obviabatur,
Hinc per tormenta majora murorum hiatus.
Propugnacula mox furiali impetu conſcendebantur,
Hinc hoſtium abſciſſiones variæ, cæcæ foveæ foſſæqve
Vario materiæ genere ex plauſtris doliisqve convectis
Obſtruebantur, opplebantur.
Omnes tandem parati, qvin paratiſſimi
Ad urbem ipſam per murorum ruinas
Oppugnandam, expugnandam.
Qvam tandem, ut hodie fert fama,
Poſt diuturnam cruentamqve obſidionem,
Candido ab obſeſſis vexillo prolato,
Ingreſſi ſunt victores, triumphatores
Fortiſſimi, feliciſſimi,

Sic

Sic nihil tam firmum, tam munitum nihil,
Qvod non armis, non vi ſuperari poſſit!
Unum tamen, qvod ſine vi, ſine armis vincit omnia:
Amor eſt, qvi vincit omnia.
Amor vicit Samſonem invictiſſimum.
Amor vicit Herculem fortiſſimum.
Vicit & Te, CONJUGUM PAR NOBILE,
At victo Tibi adhuc vincendum, militandum!
Non qvidem probarem illud Poëtæ:
Semper habet lites alternaqve jurgia lectus,
In qvo nupta jacet.
Interim cum vario tædiorum genere
Conjugio eſt militandum, conflictandum.
Mox cum curis, mox cum moleſtiarum pondere,
Mox cum vario morborum genere,
Mox cum infenſiſſimo conjugii hoſte.
Mox cum improbo famulitii grege.
Sic, ſic conjugium nil niſi militia eſt.
Qvid Tu tandem, Conjugum par lectiſſimum?
Iniiſti militiam,
Ergo oppugna, expugna, triumpha.
Deo duce, Jeſu auſpice,
Oppugna omnia conjugii tædia,
Expugna omnia moleſtiarum genera
Prece, patientiâ, ſpe vitæqve innocentiâ.
Vince tandem & triumpha
In his ærumnarum caſtris,
Usqve tandem, qvæ votorum meorum ſumma eſt,
Verus pacis Princeps, Jeſus veſter
Vos Beatorum ſedibus reponet,
Ubi ſua poſuere cubilia
PAX perpetua, QVIES ſecura.

27. Aug. 1981
-9. Aug. 1982

78 M 355 (1)

ULB Halle 3
002 188 791

TA OL

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-480079-p0007-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-480079-p0008-1

CONJUGII MILITIAM
ad Urbis Inſulæ
Expugnationem horrendam
horrenda Martis facie,
IN NUPTIARUM SOLEMNIIS
SCHRAMMIANO-RINGEN-HAYNENSIBUS,
Die XXX. Octobr. M. DCCIIX.
adumbrare voluit
M. GODFRIDUS STEINBRECHERUS,
Illuſtris Scholæ Torgenſ. Rector.

Hannibal ad portas!
Ad arma, ad arma!
An parati? parati.
Ita Duces olim romanorum milites concitabant.
Ita milites reſponſabant.
Ita & cum Sponſâ Sponſus noſter:
Parati ſumus ad arma, ad arma ſumus parati.
Rectiſſime!
Namqve omnis amans militans, habet & ſua caſtra cupido:
Qvid, qvod omnis omnium vita militia eſt.
Militat pro grege Rex, grex pro Rege militat.
Sacerdos pro Eccleſiæ ſepe, pro Lege JCTUS.
Militat pater pro prole, pro ove paſtor militat.
Sic, ſic eſt, qvod dixi, omnis omnium vita militia.
At licet non adeo facilis periculiqve expers hæc militia.
Longe tamen difficilior periculoſiorqve militia,
Qva ad cruenta arma concurrimus,
Qva ad caſtra hoſtium oppugnanda confluimus.
Qva ad urbes expugnandas accedimus.
Docet hoc, vah! edocet horrenda Martis facies.
Nam Hannibale ad portas excubante,
Inprimis de pecunia, rerum gerendarum nervis
Sollicitatur anxie, anxie elaboratur.

Cumqve

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-480079-p0009-0